

B. N. II 181.
A. 50, 15.

X 1881006



Q. D. B. V.
STRICTVRAE

Quaedam

Ad Ordines Equestres, sigillatim

AD

BVRGVNDICVM,

Qui

VELLERIS AVREI

appellatur,

PRAESIDE

CONR. S. SCHVRZFLEISCHIO,

RESPONDENTE

MELCHIORE DAN. LANGIO, Lignicens. Silesio,

D. XI. Febr. An. cIo Ioc IC.

DISPVATIO LXIX.

PROPOSITIONES HISTORICAE,

DE

STATV ET REBVS

IVDAEORVM,

RESPONDENTE

M. IO. SAMVELE GROSIO, Vinshemio-Franc.

D. XIX. August. cIo Ioc XCI.

DISPVATIO LXX.

DE

RITIBVS ALIQVOT ECCLESIASTICIS,

RESPONDENTE

M. IO. CHRISTIAN. LETSCHIO, Lignic. Siles.

D. XIV. April. cIo Ioc XXCVIII.

DISPVATIO LXXI.

CVM PRIVILEGIIS.

LIPSAE, APVD NICOLAVM SCIPIONEM, M DC IC.

86. b.



VALLERIS AVREI

CONR. S. SCHWARZLEISCHIO



20.5





IN NOMINE IESV!

DISPUTATIO LXIX.

DE ORDINE VELLERIS AVREI.

I.



Ntiquus est ritus inaugurandi Equites, et balteo donandi, insigniaque solemniter conferendi, ut decus et gloriam virtutis causa consequantur. Cum enim res humanae fragiles semper caducaeque sint, tum praemia haec semperpiterna existimari debent, quae constituta sunt fortibus, ut industria et consilio imperia et regna defendant, hostibusque occurrant, et fidem atque constantiam domi forisque confirmant.

II. In Germania ictus collo impacti signo in ordinem equitum cooptati, iureiurando & voto se obstrinxerunt, quod annotavit Ioannes Beka, et Gvilelmi Batavi inaugurationem descripsit. Rex Bohemiae grandem dedit ictum in collo tyronis (Gvilelmi Hollandiae Comitis, et anno M. CC XLVII. Imperatoris Ro. designati) ita dicens: ad honorem omnipotentis Dei te militem ordino, ac in nostro Collegio gratulanter accipio. In Chron. Episcop. Trajectinor. Vocem, gratulanter, aliquoties usurpat, non Latinam quidem, sed illo tempore receptam: alioquin magis tunc protrita vox erat, gratanter: sic paulo ante scripsit: dignanter.

III. Praeterea gladio accincti, et in equestre collegium cooptati sunt, cujus rei pompam et splendorem tradit Arnoldus Lubecensis, maxime sub id tempus, quo Fridericus Aenobarbus, Henricum filium [Caesarem et successorem destinatum] in magna principum frequentia balteo donavit. Fridericus Imperator [huius nominis I.] edixit curiam, ut filium suum Henricum Regem militem declararet, et gladium militiae super femur ejus potentissimum accingeret. Chron. lib. III. c. 5. Omisit Conradum, et Ottonem, eodem tempore milites factos, et festo ritu declaratos, id quod ex Sterone patet, an annum M C LXXXVIII.

IV. Reges ergo, et Regum principumque filii non recusarunt hujus cinguli honorem, et primae adeo ac regiae nobilitatis iuvenes,

solemni ceremonia Equites inaugurati, insignia haec magni fecerunt, et libenter amplexi sunt, nominatim Odoardus Angliae Rex, Philippus Imperatoris Romae novae filius, Sanctius, postea Rex Hispaniae factus, Alfonsus et Ioannes regia stirpe orti, Rudolphus I. Habsburgius, adhuc iuvenili aetate, sed magno animo princeps, qui felicissimis patriae auspiciis familiam augustam condidit, et sopitis superiorum temporum dissidiis, Imperium in pristinam dignitatem vindicavit. Quod testatum reliquit Gaufridus Toletanus. *Propter gloriosam famam suam* (Alphonfi X. sapientis, Castellae Regis) *multi nobiles* (quo titulo etiam principes, imo Reges appellati sunt) *et egregii viri de diversis mundi partibus veniebant ad ipsum, ut ab eo acciperent cingulum militare, inter quos fuit illustris Rex Angliae, nomine Odoardus: nobilis Vir Philippus, Imperatoris Constantinopolis filius, Aboadilla Rex Granatae, nobilissimi Infantes, Dominus Philippus, Dominus Emanuel Ferrandus, et Sanctus, qui postmodum in regno successit, filii Regis Alfonsi praedicti: egregii Viri Alfonsus et Ioannes, filii quondam inclyti Regis Ioannis de' Accon (Ptolomaidis in Syria) et interiectis aliis, Radulfus Comes (idem qui Princeps et Landgravius Alsatiae) qui fuit postmodum Rex Alomanniae: in appendice ad historiam Roderici Toletani, quae in editione A. Schotti non extat. Cujus rei non meminerunt alii scriptores, ne diligentissimus quidem Ioannes Mariana. Auctor est Beka, designatos Imperatores, priusquam Aquisgranum deducti, et inaugurati sunt, dignitate militis ornari consuevisse.*

V. Magna tunc fuit eius regni opinio, ob sacrum imprimis bellum, quod contra Mauros gessit, et pro sua atque Orbis Christiani salute propugnavit. Hinc ex omnibus Europae partibus, concursu facto, Viri nobilitate generis egregii illuc profecti, non delinimentis voluptatum, sed virtutum exercitatione laudem sibi pepererunt, et ad belli rei-que publicae munia idonei satis ac parati, inter milites legi, et honore sodalitatis ornari voluerunt. *Albericus monachus* tradit, Carolum M. adolescentem eo honore in Hispania affectum. *Galafrus*, inquit, *Amiraldus Toleti illum (Carolus) in pueritia exulatum ornavit habitu militiae, in palatio Toleti. praeparata sunt omnia, ut secundum ritum Christianorum Imperatorum miles fieret, scilicet Carolus Pipini filius, de quo idem tradit, Chron. an. D CCC. XC.* *Quaerquam Veteres Franco-*

rum

rum scriptores id praetermittunt, quibus omnino recentior est Albericus, qui tertio decimo seculo vixit, et Chron. an. M. CC. XXI. terminavit.

VI. Facile hoc a Germanis manavit ad Ungaros et a Geisa eorum Rege usu probatum est, qui hunc ordinem dignitate sua non alienum censuit, & in castris, jamque cum hoste pugnaturus, boni auspicii causa eo ritu initiari voluit, auctore gravissimo Ottone Frisingensi. Rex (Geisa) in praedicto campo (ad Leitam fl.) ad quandam ligneam Ecclesiam accidit, ibique ab Episcopis (nam eousque in puerilibus annis positus, nondum militem induerat) accepta sacerdotali benedictione, ad hoc instituta, armis accingitur. Lib. I. c. 32. de gestis Friderici I. Accidit, procubuit: militem induit, ordinis militaris insignia suscepit, cingulum militare accepit, gladio accinctus, miles factus balteo donatus est. Quare ut ab aliis militibus eos distinguerent, donatos milites vocare solebant, *Milites*, inquam, non *armigeros*, qui nobiles famuli dicebantur. Postea vero, quum se dignos probarunt, lecti sunt in hunc ordinem, et militum nomine appellati, quod ritus creationis, et exempla docent. Hinc Beka scribit. *Idem Adolescentulus* (Guilelmus Batavus) *electionis suae* (Caesareae) *tempore fuit Armiger*, ideoque cum repentina festinatione praeparata sunt omnia, quaecumque sibi fuerint necessaria, ut miles fieret. Subindicat inaugurationem militis sumptuosiore fuisse et solemniorem: statim vero subiicit, multos compendii sui causa, sive, ut ipse loquitur, *parcimoniis intendentes per colaphum*, tanquam huius ritus proprium et peculiare signum, *militarem dignitatem accipere*. Reges alioquin solemnia haec peragentes, in folio confidebant, et exquisitissime culti ornatique, in magna procerum frequentia, deducuntibus armigerum purpuratis, dignitatem militis conferebant. In hanc sententiam scribit Matthaeus Parisiensis. *Dominus Rex* (Henricus III.) *veste de aurata facta de preciosissimo Baldekino* (panno Babylonico) *et coronula aurea, quae vulgariter Garlanda dicitur, redimitus, sedens gloriose in folio regio iussit advocari fratrem suum uterinum* (Guilelmum) *cum suis sodalibus quamplurimis, qui cum eo statim fuerant, arma prout decuit, fastigiose suscepturi*. Ipsumque Dominus Rex cum aliis Comilitonibus, balteo militari gaudenter insignivit. Anno 1247. Moris autem erat, ut renunciati, et in ordinem allecti milites, in ludis equestribus virium periculum facerent, atque in his certaminibus virtutem suam

comprobarent, Rursus eam in rem tradit Parisiensis. Die, qua (Rex) *VVilhelmum fratrem suum Baltheo cinxit militari, de plenitudine benevolae licentiae generaliter concessae torneandi, coepit* (Comes Gloverniae) unum torneamentum contra dictum *VVilhelmum apud Norhamtoniam ferendum, ut ibidem memoratus VVilhelmus cum suis contyronibus militiae peritiam et addisceret et experiretur.* Ut autem dimicationes ludicrae, quae torneamenta et hastiludia nominantur, sic etiam ritus et instituta equestrium ordinum ex Germania in Angliam transferunt.

VII. Alieni sunt ab hoc instituto sacri Ordines qui et *religiosi* appellantur, in quibus Equites voto castitatis, obedientiae, et paupertatis se obstringunt, statumque seculi mutant, quorum patroni et *fundatores* in Germania, Gallia, Hispania, Lusitania, et aliis regnis ac provinciis, ad libertatis et religionis defensionem, sodalitates Equitum certa quadam tessera auspiciati sunt, attributisque redditibus locupletarunt. Plerique horum Ordinum, ut antiquitate, sic auctoritate insignes, in Palaestina auspiciam habuerunt, postquam Godofredus Bullonius, capta Hierosolymorum Vrbe, regnum in Palaestina condidit, ac profligatis barbaris, sedem ibi domiciliumque collocavit, quod An. M XCIX. evenit. Hoc secundo rerum successu, confluentibus undique ad Urbem peregrinis, institutus est Ordo S. Ioannis Baptistae Hierosolymitani, et consequentibus annis, MCXX. et MCXXV. a Calixto II. atque ab Honorio II. Pontificibus Romanis confirmatus, deinceps a Friderico Aenobarbo, in tutelam acceptus, privilegiisque ornatus, quod accidit Ann. M C XXXV. ut ex *publicis concessionum formulis liquet.* Postea rebus in Oriente converfis, Christiani a Saracenis expulsi, salutis suae causa Marathen, tum Ptolemaida se contulerunt: inde, relicta iam Palaestina, reflexo in Europam itinere, An. M CC XCI. ad Cyprum Insulam profecti, mare infestum habuerunt, et M CCC IX. Rhodum Turcis ereptam, ad annum usque M D XXII. retinuerunt: hinc a Solymano eiectione, aliam sedem, ac tuendae sodalitati locum quaerere coacti, anno MD XXX. Melitam Insulam dono et munere Caroli V. qua Siciliae Regis, obtinuerunt. *V. Gvil. Tyrius, Iac. Vitriacus, Marinus Sanutus, sacri belli scriptores: post hos Iacobus Bosius, Ioannes Azorius, ex iisque Franc. Meneni Aub. Miraeus, Io. Augustinus de Funnes, Christ. de Osterhausen, Burk. Niderstet, et Iosephus Micheli, in Thesauro militari.*

VIII.

VIII. Recentior est Equitum Tevtonicorum ordo, non deterio-
 ri auspicio in Palaestina An. M CXIX. coeptus, et A. M CXCI. a Coe-
 lestino approbatus, sed rationibus Christianae militiae ibidem turbatis,
 cum nulla resistendi spes reliqua esse, et Saracena res cresceret, Equites
 inclinante fortuna, viribusque confectis, et intercepta ab Saladino re-
 gni sede, Ptolemaidem se receperunt, et postea urgentibus fatis, in
 Europam reversi, et a Conrado Masoviae duce evocati, auspicio Fri-
 derici II. in Prussiam moverunt, et devicto, traductoque ad ritus Chri-
 stianos populo, ordinem principatumque sacrum ibi firmarunt: deinde
 Polonorum armis fatigati, et tandem fracti, loco cesserunt, atque in
 Francia Germanica, constitutis rebus, et sede magni Magistri Mergen-
 themium translata, confederunt. Voto castitatis et obedientiae tenen-
 tur, eoque ab ordinibus profanis, et seculi iure praeditis distinguuntur.
*V. Iacobus a Vitriaco, historia ordinis Mariani separatim edita, Tileman-
 nus Bredenbachius, Seb. Munsterus Menenius, Miraeus, Fr. Modius,
 Cromerus, Cassanaeus, et qui ex plerisque multa collegit, Aug. Barbosa
 novissime Ioan. Cass. Venator de Mariano Teutonico Ordine equestri.*

IX. Sodalitas Templariorum inter sacros ordines relata, sed
 anno M CCC XI. extincta est, iure, an iniuria, alii sententiam dicant.
 Quorum bona ordini Ioannis Hierosolymitani assignata sunt, praeser-
 tim in Germania, non perinde in Hispania, ubi Rex Aragoniae ea ad in-
 stituendum Montefae ordinem contulit, ut is oram Valentiae mariti-
 mam contra Mauros tueretur. *Antonius & Villaneus Ordini huic ae-
 quiores, Pap. Massonus, Ioan. Mariana, Puteanus in historia condemna-
 tionis Templariorum: sed narratio Dantis Florentini de provocatione ad
 Dei tribunal suspecta est, et Brietio iudice, conficta. In Gurtlero diligen-
 tiam probo, sed requiro accuratorem.* Alioquin de voti religione, qua
 tenebantur Equites, haud dubitandum est, neque hic de voto castitatis,
 ejusque laxamento verba facere instituo, quandoquidem antiquo more
 & iure ecclesiastico castitas Equitum sancitur, sic ut trium horum ordi-
 num Equites matrimonium inire prohibeantur, quamvis id in aliis Or-
 dinibus non perinde semper observatum sit, et temperati iuris exempla
 bene multa suppetant *Apud Augustinum Barbosam, Basilium Legionen-
 sem, et Andream Mendo, qui votum quoque castitatis, praesertim in mi-
 litaribus Ordinibus, interdum benignius interpretantur.* Nunc vero
 de

de novis superiorum temporum institutis non laboro, nec iuris per se, neque a superiore laxati argumenta conqviro, sed res factaque commemorare pergo.

X. Equidem habent regna suos quæque Ordines: Gallicum S. Spiritus, Michaelis, S. Lazari et Stellæ: Hispanicum Alcantatae, Calatravae, Montefæ, et S. Iacobi: Lusitanicum Christi, Avis et Alae. Anglicum Periscelidis, Scoticum Rutæ, Danicum Elephantis et Danebrogæ sodalitates et insignia ostendunt. Imo, quod miremur licet, imperia et regna orbis remotissima, eaque nec literis culta, neque Christianorum sacris mitigata, Ordines huiusmodi receperunt & approbarunt. Mexicani et Peruani Tecuytlos suos, et Oreiones vulgo dictos habuerunt: haud secus apud Iapanes Nerigori, inter Turcas Equites ab Luna cognominati, *Sousæ Lusitani, Sansovini et Menenii testimoniis celebrantur, quoniam constitutis hisce sodalitatibus, potentiam et auctoritatem inter barbaros retinuerunt.* Ab ultimis usque sacri belli initiis repetitum, traditumque est, Saladinum Aegypti *Sultanum*, a quodam regni veteris Hierosolymitani Equite, Hugone Taborio, baltei honore ornari voluisse, *id quod literis mandavit Claudius Fauchetus.* Aliqui deinde Ordines exoleverunt et neglecti sunt, velut in regno Navarrae liliorum, non Galliae Regis, sed Sanctii IV. auspicio sumptorum, in Siculo Lunæ crescentis, in regno Neapolitano Argonautarum, in Svecico Seraphinorum alios in aliis longo temporum intervallo paulatim oblitos fuisse constat. Equestres enim ordines, qui Constantino et Clodovæo cognomine magnis, feruntur accepti, recentiores sunt, et sequiori tempore conditi, atque confirmati, alter sub *D. Georgii*, alter sub *S. Remigii* patrocinio constitutus, similiter atque alter hodie *Sancti Georgii*, alter *Ampullæ* nominatur.

XI. Longius, quam proposui, ab instituto deflexi, propterea quod constitueram explicare ordines profanos, et meram seculi dignitatem complectentes, inter quos magnum nomen titulumque habet Ordo Aurei Velleris, qui non quidem antiquissimus, sed inter ceteros nobilissimus est, sive conditorem ejus et summum caput, sive membra et socios Equites splendidissimos contemplor. Illum Philippus bonus, Burgundiæ Dux, et Belgii princeps, pro sua virtute et prudentia auspiciatus est, eodem die, quo Brugis Flandriæ nuptias apparavit, et Isabel-

lam

lam, Ioannis Lusitaniae Regis filiam duxit, nec festo solum ritu, sed pompa quoque regiam aequante, vel exuperante verius, haec solemnia peregit, allectis in ordinem quatuor et viginti Equitibus, qui cum dignitate generis, tum integritate vitae, et rerum fortiter gestarum laude praestabant. Annus erat a nato Christo Dionysianus MCCCCXXX. IV. Id. Ianuar. quum Philippus, pro sua in eos proceres voluntate, et singulari munificentia inclytam sodalitatem instituit, et Aurei Velleris nomine cohonestavit, imitatus Gedeonem, Hebraeorum ducem, qui velleris sicci et roscidi signo admonitus, trecentos ad pugnam Viros delegit, quorum ope hostes Madianitas submovit, ut legitur in sacra iudicum historia, capite sexto. Confirmatur hoc indicio aulacorum veterum, et pictarum in eis imaginum, quae diviniorei cuidam significationi respondent. *Iacobus Marchantius Flandriae l. III. Franc. Haraeus in annal. Brabant. Fr. Menenius in equestr. ord. Aub. Miraeus in originibus Ord. equestr. et in rerum Belgic. Chron. an. 1430. Philippus Brietius in annal. ad h. an. Andreas Mendo de ord. militar. disquisit. I. quest. 3. Sed incunabula ordinis Brugarum oppido detraxit, et nescio quod Tomer. substituit, forsitan fanum S. Audomari, quod populari sermone S. Omer. vocant, designare voluit, sed quid sit, erroris et culpae absolvi non potest.* Alii tamen appellationis causam aliunde quaerunt, et ab Iasone Argonautarum principe, aurei Velleris gratia in Colchos profecto, rectius petendam arbitrantur. *Pontus Heuterus rer. Burgundicar. l. IV. c. 3.* Quidam hoc non definiunt, et dubitant, ut *Philippus Labbeus in compendio temporum*: quidam praetereunt et tacent, ut *Franc. Sansovinus, et Cornelius a Marca.*

XII. Quo autem iure Ordo coaluit et constitutus, eodem deinde conservatus est, ut velut in sinu principum suorum conquiesceret, temporumque iniuriam sustineret. Itaque sanctis privilegiorum tabulis Ordinem Philippus confirmavit, et per scriptis, quibus se contineret, legibus, obedientiam sanxit, eamque iureiurando ab a scriptis XXIII. proceribus stipulatus est, et aliquanto post additis sex Equitibus, priorum numerum auxit, servata nihilominus primi auspicii formula, quam perinde retinuerunt successores, atque hunc ordinem non modo diuturnum, sed etiam perpetuum esse voluerunt. Nisi quod Carolus Philippi filius, audax idem et pugnax dictus, laneam coccinei coloris togam, quam eius pater dederat, cum holoserica, ut splendor esset

B

ma-

maior, commutavit. *Iacobus Cornelius a Marca in Philippo bono, sed in eo errat, quod Divione, Burgundionum urbe, sex Equites superioribus XXIV. five addito ordinis Principe, XXV. adiectos putat, deceptus, ut reor, a Fr. Menenio, gnaro alioquin et perito ordinum equestrium scriptore, quem haud dubie secutus est Bernardus Iustinianus, industrius, et equestri honore praeditus Auctor, in historia militarium et equestrium ordinum, novissime conscripta, pag. 729. Refellit hoc exemplum diplomatis, quod extat apud Haraeum et Miraeum, die vicesimo septimo Novembris, A. M CCCC XXXI. in oppido Insulensi editum confectumque. Sed in eo, quod Heuterus evulgavit, haec reperiuntur verba: quem (ordinem) ab aureo Argonautae Iasonis Vellere appellari volumus. At nihil horum legitur in tabulis, scripturae veteris auctoritatem habentibus, quae Gallico sermonis genere primum exaratae, etiamnum supersunt. Verba enim, quae (la Compagnie des Chevaliers) *Voulons estre appellée l' Ordre de la Toison d' Or*, sic reddenda erant: quam (sodalitatem equestrem) volumus appellari ordinem velleris aurei, non Argonautici, cuius nulla hic mentio: neque enim subiecta materies congruit, quippe quae non petita est a fabulis, neque ad poeticos lusus, sed ad res sacras, et religionis causa instituta spectat. Hoc ex iis, quae e Gallico sermone conversa sunt, confirmo. Nos ad laudem et gloriam omnipotentis Creatoris et Redemptoris nostri, ad reverentiam Matris eius gloriosae Virginis, et ad honorem S. Andreae, ad exaltationem (argumentum) fidei et sanctae ecclesiae, et ad excitationem virtutum et bonorum morum, 10. die mensis Ianuarii anno Domini 1429. qui erat dies solennitatis matrimonii inter nos et nostram carissimam et amantissimam coniugem Elisabetham in oppido nostro Brugensi, accepimus, creavimus et ordinavimus, et per has praesentes accipimus, creamus et ordinamus ordinem et fraternitatem dignitatis Equestris. Annus, quo aurei Velleris ordo sub patrocinio Mariae, et Andreae Ap. constitutus est, hic nominatur, iuxta rationes Francorum veterum, anni initium ab anniversario Paschatis sacro numerantium, secus atque Romanorum fasti habent, in quibus a Kalendis Ianuariis inchoatur. Atenim hic mirari in mentem venit, quamobrem Miraeus, cetera accuratus et diligens scribat, Philippum in diplomate suo Iasonis Argonautae diserte meminisse. Quae res ita se non habet, et verbis, ac sensui diplomatis repugnat.*

Nam

Nam vocabulum *aurei* nihil impedit, quin de aurea foecunditate regionis, et copia lanae intelligamus, duabus enim his rebus Burgundiae ac Belgii opes augentur. Et concedam licet, patronum praesidemque ordinis vellus aureum, quod Jason in Colchide rapuit, ante oculos habuisse, eiusque occasione, ut ordinem institueret, permotum fuisse: tamen causae graviores ac diviniore extiterunt, cur id faceret, et Collegium equestre auspicaretur. Illae enim in *diplomate* explicatae sunt, quarum tres potissimum ab Ordinis conditore, ommissa Jasonis mentione, afferuntur. *Legendi hic et conferendi, atque ad diploma, ut vocant, institutionis exigendi sunt Marchantius, Meyerus, Haraeus, Heuterus, Menenius, Miraeus, Belloforestius Gallus, & inter novitios scriptores Italos Bern. Justinianus.* Demum Carolus V. Ro. Imp. Aug. et Hispaniae Rex, Burgundiaeque Dux, ac Belgii Princeps, Equitum auxit numerum, et ita explevit, ut deinde non plures, quam unus et quinquaginta essent, et in posterum constituerentur. Solemnia in Comitibus Bruxellensibus perfecta sunt, anno supra millesimum quingentesimum sexto decimo, quo adolevit in spem publicam, et in Belgio Hispaniaque magnitudinem potentiae fundavit: postea constitutis Imperii rebus, et spatio gloriae domi forisque confecto, Philippum II. heredem, atque in regnis, extra Imperium acquisitis, et in Belgio successorem, caput Ordini imposuit, et iure suo, ac summo eius magistratu se abdicavit, his verbis, ad immortalam posteritatis memoriam egregiis, filium allocutus. *Accipe Filium, quem e collo meo detraho, tibi praecipuum Aurei Velleris Torquem, quem Philippus Dux Burgundiae cognomine Bonus, Atavus noster, monimentum fidei S. R. E, esse voluit, & huiusce institutionis, ac legum fac semper memineris.* *Apud Justinianum ed. Venet. p. 732. Seriem et insignia torquatorum Equitum Antverpiae edidit Io. Iac. Chiffletius, diligentia, et doctrinae copia clarus.* Cuius Ordinis patrocinium ut debetur Austriis, sic indicio est iuris, quod Austria Hispaniaque in ducatum Burgundiae habet, et legitimam adeo successionem in eo sibi vindicat, eiusque ratione principatum Ordinis obtinet, et insignia quoque gentilitia ac titulum recte et constanter usurpat, ac idoneo *civilis possessionis* argumento usque ad hodiernum diem tuetur, hoc magis, quod *ducatus* ille suo, et legi Salicae, praesertim in successionis capite, ubi ne feminas quidem excludit, prorsus adversatur.

D. O. M.

DISPUTATIO LXX.
DE STATV & REBVS IVDAEORVM.

I.

Postquam Respublica Iudaeorum in ditionem potestatemque Herodiadarum redacta est, res eius in deterius ire coeperunt, & libertate gentis imminuta, ac mixto exterorum atque indigenarum imperio, multae seditionum occasiones populo datae sunt, quibus iugum a cervicibus suis depellere, seque in pristinum statum vindicare cupiebat.

II. Herodes Ascalonita ad tanti splendoris fastigium se atque regnum suum perduxit, ut quibusdam summa, neque obnoxia aliis potestate praefuisse videatur. Sed rectius rem illam aestimantes iudicant, in populi Romani clientela fuisse, et fiduciaria lege, qua superiorem agnovit et habuit, regnum tenuisse. In quam rem haud pauca adducere licet, quae iuris non mediocriter deminuti, & precarii regni fidem indiciumque facere possint.

*Ios. A. I. XV.
9. 13. XVI. 15.
17. Cas. Ex.
1. ad apparat. n. 5.*

III. Cum Herodes regnum adipisceretur, turbarum & motuum non erat modus, nec finis quandoquidem praeter multas et graves querelas, Iudaei saepenumero adversus ipsum conspirabant. Ingravescente autem tyranni aetate, et senectute effoeta, animus ipsis crevit, & majori fiducia elatus est, cupiditasque moliendi res novas vehementer inflammata, ipsorum incessit animos atque expugnavit. Quibus rebus factum est, ut neque omnes sacramento fidem regi obstringerent, neque duces tumultuantium inceptis et machinationibus deessent: id quod Iudae et Mathiae, fortissimorum iuvenum, intempestiva audacia, et plenum periculi institutum abunde confirmant.

IV. Atenim dici non potest, quam omnium animi, illo mortuo, ad rerum novarum expectationem erecti fuerint, quot conspirationes adversus defuncti liberos coeperint, quot denique extiterint, qui per seditiones et tumultus viam ad regnum affectarent; siquidem Iudae Ezechiae filii, Simonis, Athongis, aliorumque complurium, consilia perduellionis plena, et irae ultionisque modum excedentia, parum a furore abfuerunt, cum praeter rationem facerent, legumque vinculis se constringi aegre paterentur. Sane ad haec omnino tempora, ultima, inquam, regni Herodis, vel quae statim mortem eius secuta sunt, Theudae historiam, cuius meminit Gamaliel, plerique non insciti scriptores referendam existimarunt.

*Ios. L. XVII.
c. 8. & 11.*

V. In-

V. In familia Herodis M. regnum quidem continuatum est, at neque Archelai, neque Antipae, caede Ioannis patrata infamis, neque Philippi Tetrarchae progenies in provinciis, Palaestinae ambitu comprehensis successit, sed Herodes III. cognomine Agrippae celebris, Aristobuli filius, hanc felicitatem obtinuit, ut avi imperio ditioneque potiretur. Quamvis enim Tiberius Romae ipsum indignissime tractaret, in carcereque inclusum teneret, tamen eo mortuo, Caligula successor hominem e vinculis, praetextu necessitudinis secum contractae, dimisit ac liberavit, & Trachonitide insuper, quam Philippus tenuerat, donavit, nomenque Regium simul liberaliter ipsi impertivit. Demum Claudio adiunxit possessiones, ab Archelao et Antipa, Caesaris Augusti beneficio quondam impetratas, ut unus Agrippa rursus praeeset Iudaeae, Samariae et Galilaeae, earumque administrationem non nisi cum vita poneret, quae paucis quidem post annis mirabili sane & memorabili casu fungebatur.

*Tacit. Hist.
V. 9.*

VI. Deliberatum est a Claudio, de filio in Patris regna, pari cum imperio & potestate inducendo ac inaugurando; sed obstitit aetas ipsius, et anceps periculosusque provinciarum status, impedivitque adeo, ne consilium perficeretur. Quamobrem Agrippa Minor Chalcidem ab Imperatore, & Trachonitidem cum regio nomine consecutus est; Iudaea autem per Magistratus Romanos, Procuratorum titulo constitutos, muniaque sua sub Praesidibus obire solitos, regi iterum et administrari coepit.

*V. Nold.
Hist. Idem.*

VII. Ex his vero colligere licet, et pronunciare expeditum est, quam hi Principes obnoxii fuerint et obsequentes voluntati Caesarum, quorum nutu arbitrioque regebant, adeo ut si eorum ira efferbuisset, minas audire, de provinciis decedere, atque in exilium ire cogerentur. Quae conditio eo magis erat miserabilis, quo minus adversus fluctuantem aulae fortunam, se munire poterant et firmare.

*Ios. A. 1.
XV. 13.
XVII. 15.
XIX. 9.*

VIII. Quo argumento populus iste levitatis et perfidiae convictur, qui rebus culpa sua turbatis, se calamitosum reddidit, ac libertate privavit. His initiis gradibusque ruit in exitium, et incautus ac praecipuus aliorum fraudibus patuit, et ab iis, qui civitatis conditionem ignorabant, vel aequo animo non ferebant, deceptus, et in extremum discrimen adductus fuit.

IX. Duravit ista dementia in reliquiis gentis hujus, & multo post tempore cognita et usu probata est, cum Moses quidam Cretensis, mobi-

le et credulum vulgus alliceret, et seipſi ducem offerret, quemadmodum monumentis haud fallacibus tota huius rei narratio continetur.

X. Post Iosephum Socr. ex Lat. interpr. ita scribit. *Quidam Impostor simulavit, se esse Moſen, caelo demissum, ut reducat Iudaeos in patriam, per mare. Vagatur integro anno per Cretam, et Iudaeis diem constituit. Fingit vaticinia, colligit pecuniam, et tandem die constituto adducit multitudinem ad littus, ubi jubet primos desilire in mare, quorum aliqui cum desiliissent, perierunt. Mox ad eum locum viciniae properant & aliquos recipiunt, et ad multitudinem vociferantur, ne desiliant. Ita multitudo servata est, et impostor se subduxit. Haec fuit occasio multis, ut relicto Iudaismo amplecterentur doctrinam Christi.* Haecenus ille de Pseudo Mose lib. VII. H. E. c. 38. Etsi multum in huius interpretis diligentia desidero, quod Graeca inspicienti per est manifestum. Rectius convertit H. Valerius, sensumque scriptoris aptius pariter atque accuratius expressit.

XI. Melior hic erat exitus, quam credulitas et audacia gentis merebatur. At deinceps haesitavit fortuna, nec bene cecidit consilium, quando cum rerum novarum studio, odium pertinax et perduellio coniungebantur. Romanos quidem per saepe laeserunt et lacesiverunt Iudaei, sed imprudentes, & futurae calamitatis haud providi, alioquin bellicosi et fortes, at subacti postea et in deditionem ab iis redacti, quorum reputare vires, et iram pertimescere debebant, quippe quod ambitioni suae fervirent, terrarumque orbem sibi destinarent. Sed vero graves horum facinorum dederunt poenas, quum non modo subinde durius et addictius haberentur, sed etiam hanc ob causam ultimas, et vita moribusque dignas, iamque cum exitio coniunctas calamitates perpetuerentur.

XII. Herodes vero ut versutus et callidus, sic a natura factus ad dominationem, quam etsi non iure, sed vi obtinuit, tamen omnes improborum civium conatus fregit feliciter et superavit. Proinde nullum incendium excitatum est, quod is non sanguine autorum restinxit, vel sedavit. Cumque Pharisei aperte recusarent obsequium, et sacramentum palam detrectarent, caedibus saevitum est, nec aliquis facile extitit, qui manus sanguinari et efferati Regis evitaret. Testatur illud interitus eorum omnium, qui tumultuantibus duces et antesignanos se praebuerunt, iracundiori sane fato, quod exitium in capita ipsorum vertit, turbulentosque delevit funditus et subvertit, qui neque sibi temperare, neque alios rectius gubernare potuerunt.

XIII. Quamobrem nihil non audebant, et erepti iam sibi, postquam e servitute videbantur, ultima experiri volebant, ne denuo subire iugum, et nutu alieno vivere, atque externas leges accipere cogerentur. Sed enim vero omnia sinistris auspiciis coepta pariter ac gesta sunt, novaque machinatio materiam cladi recenti, occasionemque sanguini profundendo semel atque iterum dedit. Mitto reliqua, et supersedeo dicere extrema, quoniam immanitate constant, et calamitate movent, adeo ut sine lachrymis non modo non repeti, sed ne commemorari quidem possint.

Disp.

DISPUTATIO LXXI.
DE RITIBVS aliquot ECCLESIASTICIS.

I.

N argumento cantus ecclesiastici paria faciunt ᾠδὰς ἀντι-
φώνους, et ἀντίφωνα λέγειν.

II. Ratio canendi per *antiphonas*, instituta est a
Chrysoftomo, quemadmodum tradit *Socrates Scholasti-*
cus, cum quo iungatur ipse *Chrysoft.* in *hom. VI. de poenit.*

III. Sponsor ad sacrum fontem, Graecis sequioribus dicitur σὺν-
τεχνῶ, quod ex *Euchologio*, itemque *Cedreno*, et *Cabasila* abunde con-
stat.

IV. Hinc mea quidem opinione sumtum est rudis & inficetae La-
tinitatis vocabulum *Compatriis*, quod sermone vulgi tritum quotidie audi-
mus.

V. Quorum nomina quondam annotat, et posthac de scripto re-
citata sunt, eorum rationem esse habitam, intelligi potuit, adeo ut anno-
tati exinde solatium caperent, et *puncti*, id est, scripti, consignati, atque
in album relati dicerentur: quorum respexisse videtur *Anastasio Augu-*
stus in *l. 4. §. 1. C. de Advoc. div. iudicium*. Lucem ei licet afferamus ex
scriptoribus *Anastasio* proximis, quoniam viris aevi illius peritis vox
puncti suspecta est, et videtur egere lima.

VI. *Vlpianus*, etsi Christianis infensus, non perstrinxit veteris
ecclesiae ritum, quem exorcismum vocant, *l. 1. §. 3. D. de Extraord. cognit.*

VII. Quod perspicere est ex *Iustino Martyre*, qui gravis mihi san-
ctusque huius sententiae auctor est in *Dialogo adversus Tryphonem*.

VIII. Neque tamen hi *exorcistae*, quorum *Vlpianus* meminit,
poenas dabant, quoniam medendi causa ritus superstitiosi formulas
adhibebant.

IX. Praeter hos quidam erant malefici, qui maturandae mortis
causa impio diri carminis genere utebantur. Quos significat *Paulus*
lib. V. sent. tit. 23. Cui explicando faciunt Tacitus, et Plinius maior, post
utrosque Tertullianus in libro erudito, de spectaculis scripto.

X. Alius est ritus, sine praestigiis fieri solitus, de quo legatur
Eusebius lib. V. c. 7. H. E. Cui testes adiungimus *Origenem* in *Ep. ad*
Roma-

Romans, Chrysostomum in homil. XXI. ad pop. Antiochenum, et hom. de Adam et Eva, Cyrillum Hierosol. catech. I. mystag. Nazianzenum in orat. X. Augustinum de nupt. & concupiscentia, Hieronymum in cap. V. Matthaei, aliosque complures.


XI. Ἀρχιερεὺς maximi sacerdotis elogio distingvitur ac designatur. Graecis est ἀρχιερεὺς ἱερέων, quem et prisca scriptores tradunt, et antiquae inscriptiones commonstrant. Vulgò, sed non Latine, *Archisacerdotem* interpretantur.

XII. Sane apud profanas, et extra coetum DEI positas gentes, sacerdos publicus non continuo maximus perpetuusque fuit.

XIII. *Neocori* curandis custodiendisque templis adhibiti sunt, quorum frequens mentio est in numis Augustorum, speciatimque Antoninorum. Quod nomen non modo hominibus, sed etiam urbibus attributum est, honoris & privilegii causa. Hoc ΝΕΩΚΟΡΩΝ titulo celebrantur numi Perinthiorum, Laodicensium, quorum urbes haud obscuri nominis extiterunt.

XIV. Mithra non solum Persis, verum etiam, propagata superstitione, Romanis Celtisque cultus est, quem omnes, quos sciam, Graeci auctores nomine virilis generis denotarunt.

XV. Quamobrem ab antiquitatis praesidio inopes sunt, qui mithram foemineo genere pronunciant, Strabonisque auctoritatem obtendunt, et Servii veteris Grammatici testimonium eo co detorquent.



WDX

ME

